



1. Abichtū s. Ioh. Georgij diff. de Claudio
 Felice, ad Act. xxii. v. 29. 25. Wittenb.
 2. — diff. de summa Cor. Celsi vere
 dignitate Wittenb. 1732.
 3. — diff. Petrar vindicatio sapientie
 divine circa Lapsum Adami,
 Wittenb. 1739.
 4. — diff. de Leze Sabatti, Wittenb. 1721.
 5. — diff. de fide apostolorum tempore
 Christi in his terris degentis, Wittenb.
 6. — diff. de animalibus humanis
 post mortem corporis vivis, Wittenb.
 7. — diff. de Immanuile ex Virgine
 nascituro, Lipsie 1717.
 8. Arpini s. Franc. Albi diff. apologetica
 pro genuina Lutheri versione
 Germanica dicti paulini Rom. 20
 v. 17. Rostochi 1732.

ct. n

73

Q. D. B. V.

Z HTHMA THEOLOGICVM
DE
**PIETATE
QVAESTVOSA**

OCCASIONEM SVPPEDITANTE
DICTO PAVLINO

I. TIM. VI. 5. 6.

VENTILABVNT

IN ACADEMIA NORICORVM ALTORFFINA
PRAESES

IO. DAVID BAIERVS
S. THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD.

ET

RESPONDENS

MICHAEL LANGIVS
S. THEOL. STUDIOVS
NORIMBERGENSIS.

AD D.

IAN. MDCCXXXII.

ALTORFII
TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.

VIRIS SVMME REVERENDIS AMPLISSIMIS
ATQVE EXCELLENTISSIMIS

DN. GVSTAVO PHILIPPO MOERL
AD D. SEBALDI VT ET TOTIVS VENERANDI MINISTERII
NORIMBERGENSIS ANTISTITI SS. THEOL. MORAL. ET GEOGR.
P. P. CELEBERRIMO NEC NON PERILLVSTR. REIPVBL.

A CVRIS BIBLIOTHECAE

DN. GEORGIO IEREMIAE HOFMANNO
AEDIS D. LAVENTII ANTISTITI LINGV. ORIENT.
P. P. BENE MERENTISSIMO UT ET CANDIDATORVM MINI-
STERII INSPECTORI GRAVISSIMO

DN. IOACHIMO NEGELINO
ANTISTITI AEDIS D. MARIAE NEC NON DOMINICA-
NORVM ELOQV. POES. AC GRAEC. LINGV. P. P. PRAECLARE
MERENTI

DN. IOHANNI IACOBO PFIZERO
SS. THEOL. DOCTORI AD D. AEGIDIANTISTITI
UT ET GYMNASII IBIDEM FLORENTIS INSPECTORI
DEXTERIMO

DN. NICOLA O HAECKER O
AD D. IACOBI TEMPLVM ANTISTITI
VIGILANTISSIMO

DN. IOHANNI HERDEGEN
AD AEDEM SPIRITVS SANCTI ANTISTITI
MERITISSIMO

MAECENATIBVS PATRONIS ET ILLIS QVONDAM PRAE-
CEPTORIBVS SVIS OMNI OBSERVANTIAE ET PIETATIS
CVLTV VENERANDIS

SPECIMEN HOC THEOLOGICVM
PRO MAXIMIS IN SE COLLATIS BENEFICIIS
IN GRATIANI ANMI SIGNIFICATIONEM
ET SVI PARITER AC SVORVM STVDIORVM VLTERIOREM COMMENDATIONEM
SACRV M ESSE IVBET
TANTORVM NOMINV M
CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
MICHAEL LANG NORIMBERGENSIS.

J. J.



ibi ipsi mercedis aut lucri loco esse uirtutem minus fucatam , praeter sacras uerbi diuini pandectas , illud quod miseric adhuc superest mortalibus , naturae lumen testatur plus sat- tis , quando eam sufficere sibi , docet , ad felicitatem , nec ulla re opus habere , nisi robo- re (a). Saniores quotquot existunt sapientiae cultores , cum FRANC. PETRARCHA eam philosophiam profitentur , quae non fruendum uirtutibus , sed uten- dum docet , (b) siquidem in usu ipsarum sit fructus simul et com- modum certissimum . Missos facimus Stoicos , superciliosae indolis homines , qui , dum nihil expetendum contendunt esse praeter uir- tudem (c) , negant tamen propter se ipsam esse expetendam , sed propter uitam beatam , quae necessario sequitur ; quo ipso sibi minus constare uisi sunt . (d) Ne tamen et nos contradicere nobis ipsismet , aut nuncium remittere axiomati recepto , quo nihil sine fine certo iubemur facere , uideri possimus , dum sui ipsius praemium uirtutem esse , adserimus ; consultum rati sumus , instituere diaconem nostrae , cui inuigilamus , stationi congruam , proque seculi huius peruersi ratione haud parum necessariam , de Pietate uirtutum quarumuis matre ac principe , ut , quousque illa sibi sit lucro , constare queat recte sentienti- bus . Neque enim curarnus magnopere , si quis nobis obuer- tere uelit , esse caput istud doctrinae parum insolens , exulare insuper e numero eorum , quibus delectari solent hodie lecto- res

A 2

res

(a) DIOG. LAERT. Lib. VI. in uit. Antisth.

(b) Dial. X. de Virt. sub. R.

(c) uid. ERASMI ROTEROD. Apoph. Lib. VI.

(d) Vid. LAC-

TANTIVS diuin. Inst. Lib. III. de falsa sapient. c. XII. p. m. 208.

res inquarum rerum audiores; neque tamen metuendum idcirco erit, ne omni excidamus fructu laboris huius, teridentis ad scopum egregium, in uita DEO placente, eaque uerè felici, positum, modo illud eueniat, quod rectae cuiusuis intentioni debetur penes aequos rerum arbitros, iudicium, inquam, sanum et secundum charitatem conceptum; hoc siquidem admiso non poterit non argumento tam iucundo atque commendabili suum stare pretium, quamvis desint scriptio[n]i ornat[us] et lenocinia. *Qui recte sapit, manult, ERASMO iudice (e), salubria praecepta uiuendi qualicunque sermone proposita, quam pestiferas opiniones ab eloquentissimo scriptore haurire.* Sequemur in excutiendo themate nostro ducem in primis Paulum, Christi Apostolum, pietatis sincerae doctorem prorsus incomparabilem, cuius ad Timotheum erudiantum scripta uerba nobis erunt gnomonis instar, quid lucri intendat pietas, quid uero minus, indicantis. Non promittimus exegesin dicti Paulini iustum atque numeris omnibus absolutam, qualem adornarunt iam pridem uiri de interpretatione sacri codicis solliciti; sed utemur libertate cuilibet scriptori concessa, qua integrum erit nobis suppeditare meditationes ex aliis etiam scripturae S. oraculis depromptas, Pauli tamen effato conformes, et negotium pietatis quaestuosa concernentes. Id ipsum ut felici successu gaudere iubeat DEVS T. O. M., calidissimis precibus nostris efficere conabimur.

SECTIO I.

Breviter expendens locum 1. Tim. VI. 5. 6. velut sedem doctrinae de Pietate quaestuosa.

§. I.

Iam dudum conuenit inter sobrios scripturae diuinæ interpres, posse unius eiusdemque dogmatis fundamentum diuersis quaeri in locis, qui parallelismum faltem realem, si non

(e) l. c. Lib. V.

non uerbalem, ostendunt. Et hoc quidem immensa bonitati ac sapientiae Numinis acceptum referri solet, quod quo maius ferunt momentum doctrinae Christianae, eo frequentior uel saltem significantior earum fiat mentio a Spiritu ueritatis. Interim cuiusuis dogmatis sedem primariam inuestigare, eidemque uel maxime inhaerere solemus, praetermissis locis alias idem testantibus, quoties illud ipsum breuiter strictius emetendum nobis ueniat pro instituti ratione. Et hoc est, quod in praesenti negotio nobis sumimus, dum elegantissima illa Apostoli Pauli uerba i. Tim. VI. 5. 6. prae caeteris felicissimus aduentilandum thema nobis propositum.

§. 2. Textum Graecum uno eodemque tenore nobis exhibent codices castigatissimi: — — νομίζουτων πορευον ἐναγ της ἀναβεβαν. ἀφισασ άπο των τοιστων. ήτι δε πορευομεν μεγας η ἀναβεβαν περα αναρρησις. Et quamvis nonnulli v. 5. legant διαπορευομεν, testibus ERASMO, et CVRCELLAE (f), parum tamen momenti ac discriminis inde suboriri, quilibet agnoscit. Nec est, cur omissionem uerborum: ἀφισασ άπο των τοιστων in exemplis quibusdam attendamus magnopere, ut cum GROTIUS (g) interpolatum hunc uersiculum dicamus ab iis, qui sensum putauerint sine ipsis non plenum fore; siquidem ex fedula codicum probatissimorum collatione diuersum euerterint IO. PRICAEVS, (h) TH. BEZA (i) aliquique complures.

§. 3. Hac de causa Vulgatam, quam uocant, uersionem non adducimus, cum illam ipsam corruptos codices Graecos secutam esse, et comma istud v. 5. omisisse deprehendamus. FR. VATABLI translationem potius in medium proferimus, quae ita habet: qui existimant quaestum esse pietatem. Seiungere ab his, qui ipsismodi sunt. Est uero quae-
stus magnus, pietas cum animo sua sorte contento. Nec minus conformem textui sacro putamus uernacula nostram,

(f) Not. marginal. ad h. l. (g) Annot. ad h. l. (h) Annot.
f. 814. (i) Ann. in N. T. maj. h. l.

quam B. LVTHERO debemus: die da meinen, Gottsee-
ligkeit sey ein Gewerbe. Thue dich von solchen. Es ist aber
ein großer Gewinn, wer gottseelig ist und laesst ihm genü-
gen. Quin et Belgica illa, quae Delphis prodiit A. MDLXXXII.
uersio fatis recte uidetur exprimere sensum Apostoli: die ach-
ten dat de Godtsalicheydt zy ghewinn. Wiickt uan den sulken.
Ende de Godtsalicheydt is een groot ghewinn, met genoech-
saemheydt.

§. 4. Quis scopus fuerit scriptoris sacri, hanc sententiam
edifferens, obscurum esse non potest, modo attendamus
ad doctrinarum praecedentium, imprimis v. 3. huius cap. in-
choatarum tenorem, ubi Apostolum uidemus urgere obser-
uationem *γνῶντας τὸν λόγον* tendentium *ad pietatem ueram*;
quorum limites cum transflant disceptatores rixosi v. 4., suis
quaestiunculis superuacaneis omne tempus terentes inutili-
ter, v. 5. utique e re non Timothei solum sed et doctoris cu-
iusuis sinceriore, sensit diuus Paulus, si praemoneat ipsos, ne
peruersam hanc indolem imitando auditoribus suis sint offen-
diculo, eosdemque a simplici ueritatis tramite ad errorum ac
uitiorum auaia secum ducant. Cupit itaque simul anteuerte-
re cogitationem meticulosam, de amissione omnis lucri aut
commodi, quae oritura forte esset ex neglectu moris inue-
terati; atque ita, quis sit genuinus ueritatis ac pietatis usus,
ostendit v. 5. 6.

§. 5. Nobis uero iam incumbit euoluere acceptiones ter-
minorum potiorum, his ipsis uerisculis contentorum. Et de
pietate quidem obseruamus, dupli admodum sensu uenire
uocem istam in sacro codice; aliquando enim *specialius* ac-
cepta significat obsequium erga praecepta tabulae primae de-
calogi, et officia imprimis erga D E M ipsum, *interna* at-
que *externa*, complectitur, ubi simul contradistinguitur *ho-
nestati I. Timoth. II. 2. aut iustitiae & sobrietati Tit. II. 12.*
aliisque erga hominem exercendis officiis I. Tit. VI. II. Pla-
cuit ista acceptio diuno AVGUSTINO, quando religionis
sum-

summam in pietate positam esse perhibet: *Pietas enim, inquit, est uerax ueri DEI cultus, non cultus falsorum tot Deorum quot daemoniorum;* (k) consentit etiam IVSTI-
NVS MARTYR, dum pietatem primo generali pracepto con-
tineri statuit, et iustitiam secundo, quod est de dilectione pro-
ximi. (l) Non nunquam uero generaliter sumta extendit se
ad obsequium erga utriusque tabulae pracepta, inuoluendo
officia tam DEO quam proximo nostro praestanda, ubi ple-
rumque nude ponitur sine additis aliis uirtutum moralium
nominibus uid. u. 3. huius cap. I Tim. VI. Tim. I. 1. II. Pet. III.
II. (m) Huc digitum uidetur intendisse EVSEBIVS, qui pie-
tatem uocat την προς την έτα οις αληθως εμολογουμενον τε και οιτα θεον
αγαπευτιν, και την κατα τετον ζωην i. e. animi ad unum solum et
uerum DEV M firmam stabilemque conuersionem, con-
iunctam cum consentanea illius praceptis uita (n) Posterior-
rem significatum esse huius loci putat B. GERHARDVS
l. c. priorem uero potius hoc spectare statuant GROTIUS,
DANAEVS, TIRINVVS (o) et alii plures, qui pietati
nomine intelligunt efficacem DEI cognitionem, timo-
rem cultumque. Licet igitur h. l. additam inueniamus pie-
tati αυτορειν, h. e. uirtutem peculiarem et distinctam, adeo-
que ex ipsius D. Gerhardi hypothesi statuendum foret, spe-
cialem significatum ab Apostolo uerbis citatis intendi; con-
textus tamen jubet eligere potius acceptiōnēm της ιντεβαιas
generalem. Ex uersu enim 3. et 4. manifestum est, oppo-
ni pietati Christianae uitia inuidiae, contentionis, maledicen-
tiae, ac suspicione malae, et consequenter inuoluere istam
uirtutes morales uitiis hisce contrarias. Praestabit ergo missum
facere istud criterium haud satis certum significationis gene-
ralio-

(k) Lib. IV. de Ciuit. DEI, cap. XXIII. p. 454. conf. eiusd. Com-
ment. in Ep. ad Rom. qui extat T. II. fol. 477. (l) Dialog. cum
Tryphon. Iud. p. 126. b. (m) Conf. IO. GERHARDI schol.
piet. in praef. p. 1. 2. (n) Lib. I. de praepar. Euang. c. 1. (o) uid.
Annot. illorum ad h. l.

ralioris, a uiro laudatissimo suppeditatum, quam aduersus contextum sacrum, eumque luculentissimum, impingere.

§. 6. *Autapua* quid significet, nostrum nemo ignorat; neque etiam ullibi discrepare uidemus nomenclationes critorum, sed uno proorsus sensu accipere uocem istam *pro sufficientia*, quatenus scil. deriuatur ab *duros* et *ignea*. quatenus uero sub moralem uenit considerationem, indicari ea ipsa animum sua forte contentum, aut, quod idem est, *animi moderationem boni consilientis qualemunque statum praesentem* (p). Vnde simul manifestum fit, haud satis quadrare terminum *frugalitatis*, quem adhibent uersiones nonnullae; siquidem frugalis quis esse, i. e. medianam inter prodigalitatem atque auaritiam tenere uiam possit, licet interna mentis continentia nondum gaudeat. Plura de hoc *autapua* termino iam non addimus, quandoquidem eius consideratio non nisi secundario faciat ad nostrum institutum. Vid. interim loca parallela II. Cor. IX. 8. Hebr. XIII. 5. et conf. IO. OLEARII, doctr. theol. mor. Tab. LIV.

§. 7. Magis ad rem facit uox *πορισμός*, quae praedicti loco adposita est pietati. Huius differentiam a *πόρος* in eo constituant nonnulli, quod non significet solum *quaestum* aut prouentum, qui semel in anno percipitur, sed ipsum etiam *fundum* et quasi fontem perennem atque inexhaustum indicet, qui crebro et semper largiatur suos prouentus. (q) Alii contra *πορισμόν* uolunt innuere *ipsam actionem comparandi et adquirendi*, quemadmodum u. g. machinatio est res aut actio, quam quis machinatur (r) Hinc B. GLASSIVS antanaclasin rhetorica admittit in hoc textu, i. e. repetitionem uocis eiusdem in uicinia, diuerso quidem significatu, ita ut *πορισμός* v. 5. indicet *negotiationem*, v. 6. uero *quaestum siue lucrum honestum*.

(p) BEN. ARETIVS Comment. ad h. I. fol. 515. Conf. PETR. RAVANELLI Biblioth. sacr. Part. I. p. 284. a. (q) LAMB. DANAEVS in not. ad h. I. (r) Vid. IO. CASP. SVICERVS in Lexic. lit. n. (s) Rhet. Sacr. p. 532.

honestum (s). AVGVSTINVS obseruat , latinum uerbum
quaerere pro adquirere in scripturis saepissime ponit , unde et
quaestum siue lucrum putat idem esse , atque *adquisitum* (t).
 Non uacat excurrere ad conciliandum sententias istas , appa-
 renter saltem inter se pugnantes , aut ad euoluendum tertium
 comparationis , quod elegans est admodum , et respicit ad
 uectigalia ex transitu fluminum aut fretorum maris , unde flu-
 os captant prouentus huius seculi magnates . Sufficiat nobis
 obseruasse , quod *quaestus* h. l. habeat respectum non solum
 ad rem ipsam , quae prouentus certos largitur , uerum etiam
 ad subiectum siue personas , quae circa rem uersantur atque
 occupantur . Ita nimirum pietas dicitur *quaestus* , respectu
 pretii , quod sit in ista uirtute , simul uero respectu hominis pii in-
 que ea uirtute se exercentis (u) , ut sensus sit : pietas in se qui-
 dem res pretiosa est , quia nunquam caret prouentibus egre-
 giis , *quaestum* uero suppeditat homini , qui eius exercitio
 recte fungitur .

J. 8. His praemissis iam facile erit peruidere , quo pacto
 cohaereant inuicem diu Apostoli uerba integra : Alienus sis ,
 ô Timothee , et quisquis es Christianus , a conflictatiunculis
 superuacaneis hominum mente corruptorum , ueritatem qui-
 dem ore crepantium , eoque simul speciem pietatis men-
 tientium , qui insuper existimant , licet non aperte dicant ,
 esse ex studio isto faciendum *quaestum* . Tales enim cum re-
 uera nihil praestent boni , sed fastu potius suo atque auari-
 tia offendant alios , haud quaquam imitari te , sed omni
 tempore uitare uelim . Interim nec comprobo tacitas car-
 nis obiectiones , quibus affligi video animas etiam bonas
 ac sinceras , metuentes nimirum , ne in cassum eat labor
 omnis christianismi , aut sola huius uitiae mileria futura sit
 merces uirtutis . Hos enim uero bene sperare , et meliora

B

„cogi-

(s) Rhet. Sacr. p. 532. (t) T. II, L. XVII. d. C. D. p. 448. (u) I, Tim.
 IV. 7. 8.

„ cogitare iubeo; crede mihi, Timothee, nobis, qui uerita-
„ tem sectamur cum pietate, quaestus satis optimus ac opti-
„ mus est pietas in uniuersum, maxime si adsit animus forte
„ sua contentus, ut non opus habeamus turpi quaestu, cui
„ inhiant mortales reliqui, praesentis seculi amatores (x).

SECTIO II.

Considerans pietatem, quae perperam quaestuosa est.

§. 1.

Visa haec tenus significatione termini *quaestus* abstractiue sumti, concretum eius, nempe *quaestuosum*, haud diffi- culter admitti posse arbitramur. Eadem enim ratione, qua Spiritus Sanctus *damnosum* uocat, quod *damnnum* infert 1. Timoth. VI. 9. et homines *contentiosos*, qui contentiones disseminant, 1. Cor. XI. 16. eadem et nos *quaestuosum* uocamus id, quod *quaestum* largitur. Scriptores etiam sequimur latinos, et CICERONEM imprimis, qui *scientiam* dicit *quaestuosam*, priuato fini aut usui dicatam (y), immo *damnnum* aliquod sibi *quaestuosum* fuisse iudicat, quo esset ab incommodis aliis liberatus (z). Hinc *quaestui* sedere, aut esse *quaestuarium*, est expectare lucrum ex re qualibet, etiam illicita et turpi, ceu patet uerbis TERTVLLIANI: *Thamar illa, quia se expinxerat et ornauerat, ideo Iudae suspicio niuis est quaestui sedere, adeo, quia sub uelamento latebat, habitus qualitate quaestuarium mentiente, et fecit ut quaestuarium, et uoluit et compellauit, et pactus est.* (aa) Ex quibus simul locis deri- uari licebit acceptiōnem diuersam eius, quod uel *perperam* uel *legitime* *quaestuosum* habetur.

§. 2. Pietas enim, quae priuata solum ac propria inten- dit

(x) Conf. SEB. SCHMIDII Paraphr. ad h. I. p. m. 400. (y) Orat. Philipp. II. §. 8. (z) Lib. XIV. Epist. ad Attic. f. m. §21. D. (aa) de cultu foeminar. fol. 598.

dit commoda, minus erit genuina aut legitima, nec nisi *abusus*
ue ita uocari merebitur; dum e diuerso uera et legitima pietatis
ratio appareat, ubi commodum non tam intenditur,
quam obtinetur sine curis anxiis, ex sola DEI remunerantis
benignitate, instar praemii certi ac destinati. Illa ergo, de
qua nobis hic sermo fit, pietas, describi poterit, quod sit *habitus*
mentium humanarum peruersus ac uitiosus, speciem boni
prae se ferens, et cultum DEI studiumque proximo inseruendi
simulans, cum prava intentione, adquirendi lucrum aut praerogatiwas aliquas, coniunctus. Ad huius definitionis ductum
iam indicabimus pietatis perperam quaestuosaे indolem ac
molimina praecepua, ut quales inde prouenant imposturae,
quae damna, quie nifus exitiosi atque maligni, patescat lectionibus ingenuis.

¶. 3. Ordine igitur ipso ita poscente ab iis capimus initium, qui de pietatis genuinae natura ac indole perperam sunt
informati habentus, et quos falli proinde uidemus magis quam
studio fallere alios. Horum in eo maxime consistit uitium,
quod sibimet ipsis persuadeant, colendum esse DEVUM et in-
seruendum hominibus aliis, eo solum fine, ut bene eueniat
ipsis secundum carnis suaе desideria, utque habeant amicos
sibi deuinētos ubiuis. Falli ergo solent miseri ista sua quidem
culpa, dum naturae solius dictamini inhaerent, quod inter re-
cepta tenet principia illud: *do ut des, uolo ut uelis, facio ut facias;* neglecto interim monito seruatoris, quod altioris est
indaginis: *si benefeceritis his, qui uobis benefaciunt, quae uobis est gratia?* siquidem et peccatores hoc faciant; et *si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quae gratia est uobis?* nam et peccatores foenerantur peccatoribus, ut recipiant aqua-
lia. Veruntamen dilige inimicos uestrros; benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces uestra multa &c.
(bb). Imprimis uanus est cultus ille DEO praestitus cum in-

B 2

ten-

(bb) Luc. VI. 33. -- 35.

tentione maioris felicitatis adipiscendae, quia quo magis abludit a recta indole grati animi se totum DEI debitorem agnoscentis, eo minus faciet exceptionem a sententia Paulina; nemo prior dedit DEO, quod ipsi retribuatur (cc). Eiusmodi quaestuosa pietatis exemplum in discipulis suis animaduertit ipse Seruator noster meritissimus, quem reliquorum nomine ita aggressus est Petrus interrogando: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* (dd). Neque alium putamus fuisse animum uxoris Iobi obiurgantis maritum afflictum: *aahuc tu retines integratatem tuam, benedicendo DEO atque moriendo?* (ee) Singulos ita sentientes non sine causa impuritate quadam dilectionis laborare statuit FR. de SALIGNAC de la MOTHE FENELON, scriptor paradoxus quidem, sed non parum ingeniosus (ff).

§. 4. Multo tamen magis in hunc censum uenient, qui data velut opera aliud si non *animi regimen, uitae saltem genus ac morem* sibi ipsis imperant, ut quaestum inde capiant certiorem. Homines intelligo liberiori uitae ratione ulos haec tenus, cum hoc seculo se totos conformantes; qui quando mutatum sentiunt reipublicae, cuius membra existunt, genium, et ad eius gubernacula sedere uident uiros de pietatis exercitio adprime sollicitos, aut seueros morum corruptorum censores, statim id agunt, ut *Curii* uideantur facti esse, qui prisco sub imperii statu *Bacchanalia* uixerunt. Dum enim magistratus sapiens sibi curae cordique esse iubet, eligere ac promouere praec aliis modestas animas, recti iustique tenaces, sobrias, castas, otio turpi haud diffluentes, sed ad laborem ubique promptas; facile inde colligunt, hanc uitam alios postulare mores. Quapropter omnem sibi uim inferunt, ut missa vitae pristinae leuitate ac licentia, dignos se praestent, qui elegantur, et muneribus ornentur publicis. Neque

(cc) Rom. XI. 25. (dd) Matth. XIX. 27. (ee) Iob. II. 9. (ff) Maxim. des saint, p. 10. sqq. Instruct. Pastoral. p. 12. sqq. Conf. declarat. trium praelator. p. 208.

que in eo subsistunt solum, sed fictitia severitate sua persuadere cupiunt aliis, se nutu quodam diuino suscitatos abnegasse uanitates omnes, cruci affixisse carnem et eius cupiditates, totosque huic mundo esse mortuos. Isto enim artificio anteuertere cupiunt diffidentiam hominum prudentum, qui non abs re suspectam habent catastrophen tam uelocem, deque perseverantia uertumnorum istorum male sibi metunt; experientia quippe edocti, *lupos pilum quidem mutare, sed non animum* (gg). His ergo officias facere conantur, dum idem sibi destinatum esse praetendunt, quod iniungit EPICTETVS (hh): *si sapientiae studium cupis suscipere, statim te para, quasi futurum sit, ut deridearis: ut multi te subfannent: ut dicant, te subito philosophum extitisse, ut rogent, unde supercilium istud?* Atque ita evenit saepenumero ut Proteum talem, siue politicum, siue ecclesiasticum, in sua non solum recipient consortia uiri boni, sed et foueant in sinu, atque commodis ipsius faueant magnopere; prorsus uti olim Demas, impostor ille famosus, in pretio fuit habitus Christianis aliquamdiu, ipsique Paulo apostolo (ii).

§. 5. Eiusdem, si non peioris, monetae sunt, qui ex ipsa pietatis professione uel doctrina quaestum facere haud erubescunt. Notum est illud coeci mendicantis apophthegma, qui inbebatur ministro, ut eo se duceret, ubi maxima esset hominum procella, addens sententiam populari ioco celebrem: *ibi quaestum esse, ubi sit homium frequentia* (kk). Quod ipsum siue comprobat calculo Homerus ita canens:

πτωχῷ βελτιον ἐστι κατος πτολιν γένε κατ' αγρες.

Δαιτα πτωχευειν

Mendico praestat populosā per oppida coenam

Mendicare suam, quam ruri. (ll)

Hunc in modum suis inhiant commodis doctores lucripetae,
B 3 quan-

(gg) conf. Ier. XIII. 23. (hh) Enchirid. c. 29. (ii) Coloss. IV. 14.
Philem. v. 24. (kk) ERASMI Adag. fol. 836. (ll) Odyss. XVII.
20, 21.

quando pietatem crepant publicis sermonibus ad populi concionem habitis, magno cum uerborum apparatu; ut inde persuadeant multitudini, se sacrò feroore accensos urgere sanctimoniae praxin; tametsi priuata conuersatione sua et colloquiis domesticis animum satis profanum ostendere soleant. Videas nonnullos per aliquod tempus frigidos in inculcandis moribus Christiano dignis, occupatos saltem circa eruditio-
nis suae (ut ut mediocris) ostentationem, controversias sub-
inde dirimentes, et lectionem in scriptis Patrum multiugam
prodentes: sicubi rugarum suarum taedio abreptos animad-
uerterint auditores, et alios ab ipsis quaeri docentes, quo-
rum sapidi magis sunt sermones saleque coelestis sapientiae
conditi; mox animum inducere ad imitandum istos, legere
diligenter scripta ascetica, et psittacorum instar edere locu-
tiones piorum uirorum uernaculae, nullo quippe instinctu
alio, quam ut putentur mutati in melius, atque ista solertia
applausum sibi aliquem concilient. Tales omnino uentri,
non Christo seruire, quis dubitauerit? (mm) Quamuis enim
nouum zelum suum diuino cuiquam stimulo conentur tribue-
re, parum tamen absunt a stentoribus agyrtis, qui nouiter
inuenta medicamina, si Diis placet! simpliciori popello ob-
trudunt, quasi sint arcana concessa sibi diuinitus. Habuit
olim Ecclesia Sec. II. MONTANVM Phrygem, eiusmodi
furfuris homuncionem, cuius erronea quidem dogmata sub
pietatis ac diuini impetus praetextu diuulgata in astensum tra-
xerunt non paucos, existimantes nimium, fieri haud posse,
ut uir tanta eloquiorum grauitate instructus et gratia plenus
non sit pro seruo DEI eximio habendus. (nn).

§. 6. Quid uero de iis sentire nostrum erit, quorum non
uiua uox solum, sed ex stylus et calamus pietatem urget ubiuis,
quique editis in lucem libellis se morum iniquorum castigato-
res fingunt, ut ut de nulla re minus, quam de sua suorumque
emen-

(mm) Rom. XVI. 18. Phil. III. 19. (nn) Vid. EVSERIVS Lib. V. H. E.
c. XVI. fol. 180.

emendatione seria sint solliciti? Certe et eos *quaestuarios* esse, nulli dubitamus. Sive enim studiis istis famam sibi ac fiduciam lucrari penes exterros cupiant; siue librariorum pecunias suo labore uelint elicere: utroque tamen modo uitiosae mentis notam merebuntur. Quemadmodum enim charitas a se ipsa incipit; ita pietas quoque sincera cultorem suum corrigit prius ac pium reddit, quam ad emendandos alios instiget, teste Seruatore nostro Luc. XXII. 32. Hinc PAVLVM SAMOSATENVM olim arrogantiae ac petulantiae accusauit Synodus Episcoporum et Presbyterorum Antiochena, eo, quod carperet litteris suis ministros alios, ipse correptione ariori dignissimus, uti legere est apud EVSEBIVM (oo).

§. 7. Ne tamen oblii uideamur esse eius, quod locus iste Paulinus I. Timoth. VI. 5. 6. supra a nobis fundamenti loco positus, suppeditat, nominanda in primis nunc erit pietas *quaestuosa* illorum, qui lites atque contentiones seminant in Ecclesia Christi, sub praetextu quidem ferooris in religione. Sana omnino et prudens est B. BALDVINI obseruatio, quando inter theologum pro fidei orthodoxae integritate militantem, et inter rixosum, discrimen satis manifestum esse statuit: *Moneatur, inquiens, debitum zelum in refutatione aduersariorum adhibendum esse, propter quem doctores ecclesiarum nequaquam contentiosi fiant.* Nam, ut CHRYSOSTOMVS iudicat: *dissidacum haereticis habere non est contentio*n*is, sed pietatis.* Mox uero subiicit idem: *Paulus de se scribit: si quis uidetur contentiousus esse, nos talem consuetudinem non habemus; et tamen magna uebentia perstringit suos aduersarios &c.* (pp) Huic nos monito atque cautelae salutari inhaeremus per omnia; neque enim canes mutos esse uolumus eos, qui Christi ouile custodire et contra lupos haereticos defendere iubentur; neque dicam proinde seribimus feroori iusto, quem sincerus accedit ueritatis amor. Attamen nec istud ferooris genus

inter

(oo) Lib. VII. H. E. cap. XXX. f. 279. sqq. (pp) Comm. ad Phil. III. p. 1092, b.

inter opera pietatis referendum putamus, quod φιλονεκίαν uocat Apostolus, (qq) quamuis saepenumero pietatis aliquam speciem prae se ferat. Eo ipso enim, quod inde oriuntur παραδιάτεψις, *conflictationes superuacaneae*, statim patet, intentionem subesse prauam, nempe inanis gloriolaे studium, quod reuera est quaestus uitiosus. Probe obseruauit THEODORETVS ad h. 1., extitisse Pauli tempore in Ecclesia homines, disceptandi circa res sacras cupiditate, ueluti contagio et lue noxia, infectos, qui instar ouium scabiosarum alias infecerint quasi *confiricando*. Id quod commodissime applicabitur ad eos, qui φιλονεκία sua hodie dum molesti sunt pacificis, die sich gern an andere reiben (rr). Quidquid ergo sibi lucentur isti litigatores, siue famam, siue promotiones; iniquam negotiationem uocat Apostolus, neque fidem uult habere eis, ut ut pietatem simul crepantibus.

§. 8. Hanc impiae contentionis notam dum effugere cupiunt alii, ad oppositum uitii genus haud raro dilabuntur, et *Henoticos intempestiuos* agere gestiunt, ut pacis atque concordiae sectatores uere pii uideantur. Iam dudum uexatam fuisse ecclesiam conciliatoribus huiusmodi, qui uel syncretismum introduxerunt, uel doctrinalem elenchum profligare ausi sunt peritus, ex antiquissimis testimoniosis probatum iuit CONR. TIBVRTIVS RANGO, theologus Gryphisvaldensis (ss); istorum uero molimina toto corde detestati sunt pii Patres, inter quos GREGORIVS NAZIANZENVS peculiari oratione declarauit publice: *praeferendam esse dissensionem religionis tali concordiae, ex praua intentione coortae, uerboque DEI aduersae; ac satius esse pro pietate dimicasse, quam pacis iniisse conditiones cum hypocritis (tt)*. Recentiori aeuo quae fuerit probatorum ecclesiae doctorum de praeposterio illo concordiae studio sententia, uel sola IO. GRAFTII

Tubin-

(qq) 1. Cor. XI. 16. (rr) conf. BALDVINVS ad h. 1. (ss) Hist. Syncret. a mundo condito. Stetin. 1681. (tt) Conf. Orat. eius XXXII.

Tubingensis definitione Germano idiomate confignata constare poterit. Ita enim ille: *Der Syncretismus, Ambidexteritas, Neutralismus, ist da der Religions- uermenger die religionen entweder untereinander mischet, oder miteinander vereiniget, damit er die Gunst und Faveur bey hohen Potentaten erlange und behalte*; (uu) ubi uerba quidem ultima satis innuunt, esse pietatis quaestuariæ speciem aliquam in isto molimine, quod omnium ferme seculorum decursu ad nostra usque tempora se exeruit, suoque uitio tantum effect, ut probi saepe ac sinceri pacis ecclesiasticae amatores manum de tabula retrahere, sibique prospicere coacti fuerint, ne uel ipsis tribui posset inanis lucri cupiditas, uel inuitis etiam syncretismi macula inureretur.

S. 9. Ultima adhuc superest classis eorum, quos *martyres fecit quaestuaria pietas*, qui que non agendo, aut scribendo solum, sed et patiendo in primis, si ita loqui fas est, celebritatem sibi adquisierunt et lucrum haud mediocre. Themistoclis primum Athenis, dein tota Graecia pulsi, a Persarum uero Rege suscepit et magnifice ditati, notum est dicendum: *perieramus, nisi periissimus (xx)*. Id ipsum saepe suum faciunt hypocritae quaestuarii, si forte libertate in dicendo ac scribendo nimia usi, exules facti sint. Haud raro enim accidit, ut zelo & κατ' ἐπιγνώσην tali alias offendant, et rursum sibi deuinciant alias, maxime si ad uulgi palatum loqui didicerint. Eadem nimirum persuadent haud difficulter, se Christi seruos ob fidei ueritatisque professionem intrepidam in discrimen uenisse, possessionum uero suarum iacturam facere uoluisse potius, quam latum discedere unguem à feruoris sui rectitudine; malle cum Apostolis solum uertere, et miseriarum pane uesci, quam hostium Christi adsidere epulis. Mox rapiunt ad sympathiam credulos ac nouarum rerum auidos,

C

ut

(uu) Vid. eius Teutsche theologia, Part. II. p. 12. (xx) uid. PLVTARCHVS in Apophthegm.

ut martyrum instar collaudentur, et eleemosynis onerentur largissimis, aut muneribus etiam lautioribus adhibeantur, quam qualibus praefuerunt ante. Nonnulli promotiones nouas sibi oblatas detrectant, ut circumcursitando inclarescant eo magis, et parasiticam uitiae rationem exercere queant sine labore assiduo. Absit a nobis contemtui dicere ista animabus ure re piis, aut confessoribus Christi candidis, qui propter iustitiam patiuntur persecutio[n]es, quorum est regnum coelorum, Math. V. 10. absit, inquam, uno eodemque modulo metiri omnes, qui extores fiunt, dum ueritatem negare noluerunt. Criterium saltem obseruatum uolumus genuinum martyrum, quod commendat HENR. ALTINGIVS: *non sint infideles, superstitionis, fanatici, qui martyres diaboli; sed innocentes, nihil tale promeriti.* I. Petr. IV. 16. (yy): cui consonat illud CYPRIANI: *martyres non faciunt euangelium, sed per Euangelium fiunt* (zz); nec minus AVGVSTINI huc quadrat sententia: *laus martyrii est in causae bonitate, non in poenae atrocitate* (aaa). Quae singula caute applicata ostendunt plus satis, multos uideri pios, cum non sint: plures dari ex pietate quaestum facientes, quam in ipso pietatis exercitio lucrum statuentes: plurimos uererit famam, paucos conscientiam.

SECTIO III.

Pietatem uere ac legitime quaestuosam ostendens.

§. 1.

CVM satis aperte atque categorice sonent Apostoli uerba: *esse quaestum magnum pietatem cum animo sua sorte contento;* nihil iam, quod curas exerceat nostras, supererit amplius, praeter considerationem eius, quod reuera fructuolum

(yy) Problem. theol. Part. II. p. 251. (zz) Tr. de exhort. martyr. f. 5.
(aaa) enarrat. in Psal. 68. Fom. VIII.

Et tuosum sit in ista uirtutum omnium matre ac principe. Breui quidem manu absolui posset hoc totum negotium, si cum THEOD. BEZA ad h. l. placeret concludere: pietatem ideo esse maximum lucrum, quoniam uidelicet ueram sufficientiam adfert. Vtrum uero hac ratione exhausta foret satis diui Pauli mens atque sententia, merito nos dubitamus; cum isto fine non addita uideantur esse uerba: *uera duraquens*, ut illis praecise exprimeretur lucrum omne, quod sperant atque adipiscuntur animae DEO deuotae. Fatemur utique esse *uerae* comitem aut pedissequam *duraquens*; concedimus, sine pietate uera dari haud posse animum sua sorte contentum, et uice uersa: quemadmodum enim aqua in fonte limpidio non potest non esse pellucida et pura, praeter uero puritatem suam multis adhuc aliis gaudet qualitatibus effectisque egregiis: ita animus sincere pius *duraquens* simul erit, *pietas* uero seu quaestum adhuc habebit multiplicem. Est enim (ut paucis rem declaremus) haec pietas uere quaestuosa nihil aliud, quam *habitus mentis in homine regenito, diuinitus concessus*, et per uires gratiae adquisitus, colendi DEV M toto corde et inferiundi proximo secundum praescriptum legis promte atque assidue, reddens hominem in hoc non solum, sed et futuro seculo uere felicem. Conf. supra sect. II. § 2.

§. 2. Hac definitione, quae intellectu haud est difficilis, admissa, neminem putamus ambigere, quin primarius pietatis quaestus, isque certissimus, sit DEV S ipse, bonorum omnium sumnum atque perfectissimum, in quo, quidquid dici potest honorificum, utile ac iucundum, uelut in centro reperitur. Si diuum Psalmem audiamus, de quaestu illo, qui in DEO habetur, gloriantem, dubio omni carebit haec nostra assertio. Ita enim ille sacro spiritu adflatus, suaque experientia salutari edocetus: *Quis mihi, inquit, in cœlis praeter te? et praeter te nullo delector in terris.* (bbb) Posse

C 2

uero

(bbb) Psal. LXXXIII. 25. seq.

uero summum istud bonum impetrari ab homine uere pio, docet idem Dauides l c. dum portionem suam uocat DEVM et rupem animi sui; est enim portio, qua delectantur pii, ut haeredes sorte sua haereditatis, adeoque non imaginarium quidpiam, sed re ipsa obtingens, ceu recte obseruat PISCATOR ad h. l. Et quemadmodum non datur pietas uera, nisi apud Christianos fideles, de DEO recte sentientes, eidemque fide uera ac intemerata ubiuis adhaerentes; ita manifestum adparet *lucrum*, quod prae gentilibus aut superstitionis quibusuis adquirit pius Christianus, dum quidquid sibi ad hanc pariter et futuram uitam necessarium peroptet, ab uno isto summoque bono sperare queat, neque opus ipsi sit, recurrere in diuersis necessitatibus ad diuersa Numina aut patronos distinctos. Eleganter admodum hoc edifferit LACTANTIVS: si qua, inquiens, *necessitas grauis presserit*, tunc DEVM recordantur; si belli tremor infremuerit, si morborum pestifera uis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si saeva intemperias, si grando ingruerit: ad DEVM confugunt; à DEO petitur auxilium, DEVS ut subueniat oratur. — si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, uictum precibus exposcit, DEVM SOLVM obtestatur, et per eius diuinum atque VNICVM NVMEN hominum sibi misericordiam quaerit, (ccc).

§. 3. Post DEVM immortalem si qua adhuc existant bona, quae lucro cedant pietati uerae, uel plane non in terris hisce obtainentur, uel terrenorum tamen haud imitantur indolem. Quapropter sibi dictam putant pii sententiam BERNHARDI: cur thesaurizat in terra homo, cum sine dilatione transeat, et illud quod colligitur, et ipse qui colligit? et tu homo, quem fructum expectas in mundo, cuius fructus ruina est, cuius finis mors est? (ddd) Plura proinde expe-ctant

(ccc) de orig. Error, lib. II. c. I. p. m. 98.

Etant melioraque in seculo futuro , quam in hoc praesenti:
*Neque enim (ut ait CHYSOSTOMVS) res nostrae intra
 hanc uitam totae conclusae sunt, neque semper in aliena hac
 regione erimus, sed non multo post in propriam remeabimus
 patriam. Omnia igitur faciamus, ne alibi egeni simus futuri.*
*Nam quae utilitas, in aliena regione multas diuitias relinque-
 re? (eee) Duxi: haud imitari bonorum terrenorum indolem
 lucra pietatis, quod eo sensu uelim accipiatur: non esse ipsis
 uini talem, qualis ut plurimum inest quaestui ac bonis huius
 seculi, utpote quae possident suos dominos magis, quam ab
 iis possideantur. Hinc Paulus Christianos uult ita esse ani-
 matos, ut *ementes sint quasi minime possidentes* 1. Cor. VII. 30.
 Hinc eosdem nobis describit, tanquam nihil habentes, licet
 multa omnino habeant 2. Cor. VI. 10.*

§. 4. Obuerti tamen nobis uideo dictum illud Apostoli
 grauissimum: *Pietas habet promissionem et huius et futurae
 uitae, 1. Tim. IV. 8. Quare, ne frustra illud ipsum positum
 esse quis cogitet, repetenda non solum ueniet assertio no-
 stra superius iam dum (Sect. II. §. 9.) suppeditata: esse quae-
 stum in ipso pietatis exercitio, uerum etiam attendendum ad
 ea commoda, quibus potiuntur in hac uita praesenti pietati-
 tis cultores. Enim uero qui se ipsum exercet in pietate, id
 statim lucri adipiscitur, ut animo suo sentiat, uersari se circa
 obiectum excellentissimum, non consideratione modo sed
 et cultu dignum prae aliis omnibus. Ipsa ergo pietas dum
 DEV M colit, summum bonum sibi colendum eligit, (vid.
 supr. §. 2.) et dum proximo bene cupit, id agit, quod sum-*

C 3

mi

(eee) in Genes. c. 23. Homil. 45. Conf. 1. Tim. VI. 7.

mi istius boni causa agendum est, indeque labore non casso fungitur. Oportet autem ex hoc oriri voluptatem longe maximam, potioremque ea, que uel ex omnibus sensuum corporeorum deliciis, uel ex uitae ciuilis ornamentis, uel ex eruditione ipsa solet percipi; quandoquidem singula ista tantum spirent molestiae ac taedii, quantum uix adserre queant delectamenti, dum e diuerso pietatis exercitium nusquam destituatur dulcedine sua, in mediis etiam aerumnis atque molestiis. Psal. XLVI. 36. Hanc nostram sententiam suo confirmat calculo B. GERHARDVS: Freylich, inquiens, *ist das ein großer Gewinn; denn ein solcher gottseiliger genügter Mensch hat ein fein ruhig Leben, er ist uieder Sorgen und Angst los, er hat ein friedlich Gewissen, er hat einen gnaedigen Gott, er hat hie und dort genug.* (ffff)

§. 5. Sicut igitur ex dictis constat de quaestu pietatis spiritualis ratione eius quod iucundum uocamus; ita nec utilitatem ipsi deesse, persuasi sumus plus satis. Huc enim spectant diuitiae spirituales, quae sunt virtutis huius praemium largissimum, de quibus sermonem putant fieri apud Salomonem, quotquot translationem LUTHERI Germanicam sequuntur *Mancher ist reich bey seinem Armuth,* Prou. XXIII. 7. cum aliter uerba ista ad genium linguae sanctae reddant alii e. gr. FR. VATABLVS: it. IM. TREMELLIVS et FR. IVNIVS, ut sensus sit: *Eft, qui pauperem se singit, ostendit sed ubertas ei multa (adest); quo ipso nihil aliud uidetur indicatum, quam dari homines paupertatem mentientes, cum sint reuera pecuniosi ac diuites satis;* huic translationi

(ffff) Schol. piet. Lib. V. c. XI. p. 1028.

ni accedunt Glossatores VINARIENSES, ita exponentes textum: *Mancher ist reich bey seinem Armuth (dauon er, zu seinem eigen Nuzen, uiel Klagens bey andern machet, damit er nicht um gutthätige Hülffe möge angesprochen und ersuchet werden).* Malumus ergo doctrinae de spiritualibus diuitiis fundamentum querere in uerbis Pauli I. Cor. I. 5. sq. 2. Cor. IX. 8. ubi fideles, quorum pietatis exemplo alii etiam incitati sunt, v. 2. l. c. dicuntur ditati in Christo ad omnem benignitatem, in omni cognitione, ut nullo dono deficiant &c. Este autem diuitem in DEO et Christo, spiritualium bonorum innuit abundantiam, qua saepissime destituuntur, qui seculi huius thesauros sibi recondunt Luc. XII. 21. dum contra paucitas bonorum iusti praestantior sit cumulis diuitiarum apud iniquos multos Psal. XXXVII. 16. Consona omnino his dictis sunt uerba D. AMBROSI et digna, quae hoc transcribantur: *Quis ante DEV M diues, nisi quietus et modestus spiritus, qui nunquam corruptitur? nonne tibi uidetur, diues, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec uetera fastidiat et noua quaerat, et semper desiderando fiat in summis diuitiis inops?* Ea est pax uere diues, quae superat omnem mentem. Diues pax, diues modestia, diues quies. Fideli enim totius mundus possessio est. (ggg)

S. 6. Fortassis autem suo frustrabitur quaestu pietas in bonis decoris atque honorificis, cum iustus ac integer sit *facula contempta iudicio diutum* (bbb)? Minime! Illa ipsa enim, quae per fidem adquiritur, unio cum summo bono, honori cedit

(ggg) Epist. L. III. ep. 1. (bbb) Job. XII. 5.

cedit piis animabus longe maximo; et *quicunque honorat Dominum, ab ipso afficitur honore (iii).* Sicut igitur is, quem in pretio habent Reges magnique faciunt, non euilescit calumnum aut stabulariorum contemptionem sentiens: ita nec pietatis cultorem abiecent reddunt contumeliae a sordidis huius mundi seruis profectae, cum sit magnus in DEI oculis. Neque uero putandum, pios negligi ac despici undiquaque in hac uita; siquidem et Iosephi et Dauidis, contemptum habitorum a fratribus germanis, exempla diuersum doceant. Et si qui per omnem uitae huius decursum uisi fuerint susque deque habiti: aliud tamen honoris genus ipsis destinatum esse in seculo altero, experti sunt. *Non enim iniustus est DEVS, ut obliuiscatur operis eorum in charitate (kkk), sed noluit semper praesentibus honorare pro uirtute eos, qui ipsi sunt dedit; et quemadmodum dicuntur pii non esse in mundo, sic et eorum gloria et diuitiae terrestria non sunt (lll).*

§. 7. Sic igitur, quanta fieri potuit breuitate, quod nostri erat propositi, executos nos esse arbitramur. Patere enim ex dictis iam poterit discrimen intercedens maximum inter pietatem, siue perperam siue legitime quaestuosam, cuius perpendendi nobis ansam dedit diuinum illud Apostoli Pauli oraculum. Nemini bono intendimus facere iniuriam, nullis hic scommatibus aut cauillis locus. Qui ueritatem sectatur cum charitate, et nos iudicabit ex utriusque lege. DEVS uerae pietatis patronus summus, benedictus sit in secula!

(iii) 1. Sam. II. 30. (kkk) Ebr. VI. 10. (lll) IVSTINVS MARTYR ad Orthodox. quaest. 124. p. 381. a.

F I N I S.




av 17.

99 A 6960

Ratho

B.I.G.



ct. n
73
Q. D. B. V.

Z H T H M A T H E O L O G I C V M
DE

PIETATE QVAE STVOSA

OCCASIONEM SVPPEDITANTE
DICTO PAVLINO

I. TIM. VI. 5. 6.

VENTILABVNT

IN ACADEMIA NORICORVM ALTORFFINA
P R A E S E S

IO. DAVID BAIERVS
S. THEOL. D. ET PROF. PVB. ORD.

ET

RESPONDENS
MICHAEL LANGIVS
S. THEOL. STVDIOSVS
NORIMBERGENSIS.

AD D. IAN. MDCCXXXII.

ALTORFII
TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.